

mate Anno 1262. dato ampliavit. Idem Heinricus Liechtensteinius privilegium nundinarum singulis septimanis Nicolspurgi habendarum à Rudolpho I. Imperatore Viennæ Anno 1279. accepit. (c) Porro in Archivo Inclitorum Inferioris Austriae Statuum spectatissimæ Liechtensteiniae gentis in sequentibus documentis memoria celebratur. Anno 1294. emit Agnes Domina de Liechtenstein bonum quoddam à fratribus de Rötenberg. (d) Fridericus Liechtensteinius citatur in instrumento cessionis de Anno 1300. (e) Rudolphus à Liechtenstein in instrumento oppignorationis Anno 1310. celebratur. (f) Agnes, Friderici à Liechtenstein vidua, & Chalhochi ab Ebersdorff Soror, Fratri suo donat omnia bona à Reinpero ab Ebersdorff jure hæreditario acquisita Anno 1310. (g) Hæc eodem Anno testamentum condidit, in quo dicti fratris sui liberis, quos ex Uxore Perchta suscepit, dotarium Mariæ Viduæ Reinberti ab Ebersdorff reliquit. Parochiæ Ebersdorffensi legavit calicem filiæ suæ Agnetis de Planckenstein. Monialibus ad S. Laurentii Viennensibus quatuordecim libras Denariorum annuorum redditum in Aurostall / quos à cognata Reicharde ab Mehrenberg hæreditarios accepit, & Ordini Prædicatorum Viennensium decem alias libras Denariorum destinavit, ut annis singulis in perpetuum, anniverarium tenerent. (h) Anno 1337. Literis Reversalibus accepta certa pecuniæ summa fidem suam Decanus in Chrembs Obstringit, de perpetuis pro anima Rudolphi Domini de Liechtenstein celebrandis Missis. (i) Idem Rudolphus Liechtensteinius citatur in alio documento de Anno 1348. (k) Otto autem Dominus de Liechtenstein arbitrum compromissarium Anno 1355. (l) & Ulricus de Liechtenstein Anno 1366. in transactionis documento testem egit. (m) Hartmannus [Härtl] de Liechtenstein Diacono in Leiß pollicetur, se omne damnum, quod Ecclesiæ ibidem inflxit, bona fide reparatum, restituturumque, huic negotio fratris Johannis testimonium accessit Anno 1366. (n) Sequenti Anno 1367. citantur in diplomate Elisabetha Domina de Neidberg nata de Liechtenstein fratresque ejus Henricus & Johannes, item Agnatus Christophorus Liechtensteinii. (o) Ulricus hac gente editus Capitaneus Styræ ab Alberto Duce Austriae Goritiæ Comiti Alberto cum mandato plenissimo ad tractatus ineundos Anno 1373. missus est. (p) Frater ejus Johannes eadem tempestate in Aula Alberti Austriae Ducis Supremi Magistri munere functus est, literasque pignoratitias Anno 1374. (q) & alias Anno 1380. datas (r) sigillavit. Anno 1385. verò in compromissorio judicio laudum pro-